





Gr. 15. num. 50.

1741, 15.

Q. D. B. V.

DE

POENA INDIGNATIONIS  
EIVSQVE EFFECTV

PRAESIDE

ERNESTO HENRICO MYLIO D.

IN ACADEMIA LIPSIENSIS

A. D. V. MAJI A. C. M DCCXL.

H. L. Q. C.

PUBLICE DISPVTABIT

IOANNES AVGVSTVS SCHEDLICH

IVR. VTR. STVD.

LITTERIS ZVNKELI.



*J. Ch. Lange.*

Poemam Indigenationis  
Musicalia  
Ernesto Henrico Nitro D  
Iovinus Augstas Scheldtich  
Gothicca Silesiana  
A.D. 7. Maii A.C. MDCCXL  
Gothicca Silesiana  
A.D. 7. Maii A.C. MDCCXL  
Gothicca Silesiana



J. A. Scheldt

## Conspēctus Dissertationis.

- §. I. *Principis clementia subditis maxime quærenda.*
- §. II. *Hæc solet variis modis declarari.*
- §. III. *De privilegiis ad preces vel proprio modo concessis.*
- §. IV. *De pœnis iis adjici solitis.*
- §. V. *De indignatione Principis & formula eam indicante.*
- §. VI. *An otiosa illa sit?*
- §. VII. *Quid fit indignatio principis?*
- §. VIII. *De indignatione Dei.*
- §. IX. *De annunciatione illius per homines facta.*
- §. X. *Illiua causa & effectus.*
- §. XI. *De indignatione Petri & Pauli.*

A 2

§. XII.

- §. XII. *De indignatione legislatoris humani.*  
§. XIII. *De indignatione Imperatoris & Imperii.*  
§. XIV. *Causa & effectus.*  
§. XV. *De indignatione Domini in feudo.*  
§. XVI. *Secundus effectus.*  
§. XVII. *Tertius. Differt a comminatione pacis arbitrarie.*  
§. XVIII. *Quousque extendi queat?*  
§. XIX. *De effectu indignationis Imperii.*  
§. XX. *Conclusio.*



§. I.



§. I.

**S**i qva res subditis in his terris proficua,  
omniqve expetenda est studio, nulla  
est profecto magis, qvam Principis ra-  
vor atqve clementia. Cuncta, qvot-  
qvot in ditione sua nominare poteris, subdi-  
tis concedi solita, commoda, ab huius solius  
nutu ac arbitrio dependent. Ipse summus est  
in regione arbiter, æstimat singulorum inge-  
nia. Honores, opes, felicitatem cuiusvis me-  
ritis assignat, præmia ponit virtuti & studiis,  
tutissimum iis præbet portum ac receptacu-  
lum, quos dignos gratia censet, nec ambien-  
da iis venit siderum minorum benevolentia,  
nec prensandi manus hominum superbia tur-  
gidorum, nec aura popularis captanda. Felici-  
cissimus ille, cui hæc obveniunt, sentiet exin-  
de mirificos effectus, conspiciet alios, ipsius  
patrocinium qværentes, se suaqve omnia isti

A 3

com-

committentes, videbit provolutas ad ipsius pedes iustiam, innocentiam & virtutes, quas ab improborum fraudibus & astutia mirifice vexatas deprehendet. Et quis est, qui non illius favorem modis omnibus sibi conciliare studebit, quem vel in amicorum numero habet, vel speciminibus gratiae pereximiis ornat, vel muneribus gravissimis præponit Princeps? Est quidem cuiusvis in Republica degentis non arbitrii, sed officii, ut, quantumquantus ille sit, totus in eo deprehendatur, quo patriæ felicitatem promovere, & Principi se gratum exhibere studeat. Proprium exinde commodum sentiet, quum, quo alii vestigia legere discant, quo ipse officium modis omnibus persequi eo ardenter studeat, Princeps merita ipsius aestimare, & præmiis atque privilegiis exornare non desinet.

### §. II.

Plurimorum hic fons atque scaturigo deprehenditur privilegiorum, in quibus favor alicui conceditur, qui iure communi concessus non est, utiloqvitur BONACINA de LL. *Diss. I. qv. 3. p. 1.* Promanare videbis varios ex ea rivulos; sive Princeps condonans crimen abolitione alicui subveniat, sive poenam, legibus

bus statutam, in mitiorem convertat, sive aliqui licentiam concedat, actum, alias iure humano probitum, impune expediendi, seu facultatem in re quadam agendi, aliis non competentem tribuat, ex sola Principis clementia contingere haec omnia subditis deprehendes. Clarius hoc patescit, ex ipsa plurimarum, quae tenorem privilegiorum continent, tabularum inspectione. Ibi causas, sive sint generales, sive speciales adductas observabis. In prioribus ratio haberi solet omnium, quibus fidem principi in primis exhibuerunt, modorum, quorum intuitu licet preces impetrantis antecesserint, speciali nunc gratia subditum amplectitur. In Privilegio IOANNIS Regis Bohemiae civitati Budissinensi concessio, haec conspiciuntur verba: & sinceritatem fidei dignarum gratiarum vicissitudinibus compensare, ut ipsi de nostre Regie Maiestatis domino digne possint, & merito debeat gratulari. CAROLVS IV. Imp. in literis regio-  
ni Goerlicensi exhibitis: Das Wir haben angesehen die steten getreuen Dienste, der Uns Unsere Diener und Amt-Leute, die in dem Lande zu Goerlitz gesessen seyn, allezeit unverdriesslich gethan haben, und so viel mehr thun wollen, und Wir sie gnädiglichbedenken, und haben ihnen von Unser sonderlichen Gnaden

den ic. ic. In Privilegio WENCESLAI quo  
ornavit civitatem Budissinensem, de eligendo  
Senatu ita legitur: Das Wir durch Dienste, und  
getreuen Willen, als Uns die Bürger gemeinlich der  
Stat zu Budis in ic. oft und dicke gethan haben, reg-  
lich thun, und fürbaß thun sollen ic. Neqve minus  
hoc stylo uti solent Imperatores, Principibus  
imperii, eorumque ditionibus gratiam exhibe-  
entes, intuitu iurium, qvibus sibi reservatis  
gloriantur, in confirmandis nempe academiis,  
nundinis &c. &c. quo etiam pertinet Privile-  
gium de plane non appellando FERDINAN-  
DI I. d. a. 1559. Principibus Saxoniz conces-  
sum hac ratione: Da haben Wir angesehen solch  
seiner Lbd. gethane ziemliche Bitt, auch die vielfältige,  
getreue, angenehme, nützliche Dienste, die seine Lbd.  
ic. ic. Unsern Vorfahren am Reich, und dem Heil.  
Reich in viel Wege gethan. ic. ic. Interdum causa  
solet adjici specialis, uti in tenore Privilegii Prin-  
cipibus Saxoniz ab Imperatoribus dati, con-  
spicuum est, qvod exhibit FRITSCH. Cons.  
XXXVI. n. 85. seqq. Huc pertinet SIGIS-  
MVNDI Imp. confirmatio Privilegiorum Bu-  
dissinensium d. a. 1434. hisce verbis: Willige  
Dienste, die der vorgenant von Budis in Bordern Uns-  
sern Bordern Kunigen zu Boheim oft getreulich, und  
köstlich gethan, und sonderlich als sie Uns bezund in  
dies

diesen schweren Leussen gegen den Kezern, und Ungläubigen zu Boheim mit großer Darlegung gethan han.  
Nec prætereundæ videntur formulæ: aus eigner Bewegniß, mit wohlbedachten Rath, wifentlich, sonderlich n. & si quæ sunt aliaæ, quæ non sine ratione & effectu in nonnullis diplomatibus se offerunt, ac de singulari Principis clementia testantur, hanc ob causam omni attentione non videntur esse indignæ.

## §. III.

Quod infelicissimum plerumque esse solet juris civilis ad intelligenda juris publici capita applicandi studium, hoc etiam loco mirifice invasit commentatorum luris ingenia. Ad plenius ea, quæ hic spectant intelligenda Princeps cum subditis agens, dupli ratione considerandus venit. Potestate, qvam in se delatam sentit, utitur, iubet, vetat, punit, ordinat, leges præscribit, & actiones Subditorum ad promovendam Reipubl. felicitatem dirigit. Tunc legibus illum deprehendes solutum, quia haec neminem, nisi cui præscriptæ sint, obligant. a) Princeps vero electus est, non ut sibi, sed ut populo suo leges promulgandas curet.

B In-

a) B. Gribn. *Iurispr. Nat. L. II. Cap. III. n. 5. l. 31. ff. de LL. l. 4. C. eod. tit.*

Interdum remittit aliquid de dignitate , agit  
cum subditis , contrahit , non qua Princeps ,  
(contrahentium enim libera debet esse facul-  
tas , subditi vero, si cum Principe rem habent,  
ea non gaudent, sed ipsius arbitrio sunt subie-  
cti,) quin potius qua privatus , qua civis , qva  
contrahens & æqvalis. b) Sed eum in finem  
leges sunt conscriptæ, ut inter contrahentes at-  
que privatos determinent negotiorum ordi-  
nem. Hanc ob causam Princeps iis in rebus  
decisiones legum, licet a se ipso latarum , evi-  
tare haud quaquam poterit. Nimis hæc ex-  
tendere est devia querere , & in syrtes impin-  
gere , qvas genuinæ tum publici tum privati  
iuris prudentiæ studiosus facillimo negotio præ-  
teribit. Non semper Princeps personam pri-  
vatam induit , quum actus suscipiat , quos in-  
terdum aliqua ratione inter subditos expediri  
videmus. Principem se liberalem præbere , at-  
que eos beneficiis & privilegiis cumulare , qvi  
officio suo satagunt , omnemque movent la-  
pidem , qvo salutem Principis & Reipublicæ  
promovere valeant , formulæ in §. antec. allatæ  
satis superque demonstrant. Habent privile-  
gia , ob merita concessa , quibus inserta leges  
cius-

---

b) I. 8. C. de summa trinit. Grot. de Jur. belli & pac. L. II.  
C. IV. n. XII.

eiusmodi formulas, speciem donationis remuneratoriae, sed male agit. *Abasv. FRI TSCH. Conf.*  
*XXXVI. Tom. II. n. 96. sq. & Marc. Ant. PERE-*  
*GRIN. Conf. 7. n. 16. seq. Lib. III.* qui exinde ducunt  
 argumentum, & revocari non posse talia privilegia autemant. Donari propter merita potest a  
 privatis, hoc sine ratione retrahi nequit, c) ast in  
 Principe adest facultas donandi simpliciter non  
 solum, verum etiam lege seu privilegio alteri  
 gratiam exhibendi. Adest hoc loco, quod in  
 donationibus, inter privatos usitatis, locum in-  
 venire nequit. Si legis abrogandae potestate  
 pollet Princeps, ut res est extra dubium posita,  
 poterit quoque privilegiorum, licet ob merita  
 concessorum, valorem, ex arbitrio immutare;  
 & rem omnem in statum pristinum reducere,  
 ita, ut ipsis non obstent formulæ, rationem pri-  
 vilegii indicantes. Sed quorsum inquies, fa-  
 cient verba, quæ in plurimis Constitutionum  
 personalium tabulis conspiciuntur? Quid iu-  
 vant formulæ: Aus sonderlichen Gnaden, in Be-  
 trachtung seiner Dienste, aus eigener Bewegung &c.  
 & aliae, si Princeps pro lubitu beneficiis exuere  
 valeat impetrantem? Effectum harum vocum  
 demonstrabunt sequentia. Subditus qui onus  
 quoddam specialiter cum in finem præstat, qvo  
 B 2 pri-

---

c) a.l.27.l.34. §. l. ff. de donat.

privilegium conseqvatur a Principe, paciscitur  
 cum Principe, & quum Princeps privilegium  
 tollere queat, a contractu vero recedere non  
 valeat, eiusmodi privilegium revocare illi in-  
 tegrum non erit, quia se fundat res omnis in  
 contractu antecedente. Si Princeps vero ver-  
 bis utatur: aus besondern Gnaden, in Betrachtung  
 x. x. tunc omnem, quæ interdum promitti,  
 vel exhiberi solet, compensationem remisisse  
 censemur BORCHOLT. *Conf. XXXI. P. I. p. 440.*  
 Et nunc libere poterit is munificentia Principis  
 frui, ita quidem, ut cogi nequeat, successu tem-  
 poris, pro benevolia concessione ad novi one-  
 ris præstationem. Nec dubitandum est, ver-  
 bis: *proprio motu*, sive, aus eigener Bewegniß,  
 adscribendam esse virtutem quandam, quum  
 probe haberi debeat ratio divisionis privilegio-  
 rum, quam LINCK. *Comment. in Decret. L. V.*  
*Tit. XXXIII. s. 2.* affert, ubi ea vel ad preces,  
 vel ex proprio Principis motu concessa audi-  
 unt. Quas forsitan exceptiones reliqui regere-  
 re possent adversus ea, qui prioris generis sunt,  
 ex vim suam pleraque perdent contra hæc al-  
 legatae. Si non purgat plane hæc clausula pri-  
 vilegium a vitio sub- & obreptionis, certe ta-  
 men præsumptio tunc enascitur, principem non  
 precum subditi solum rationem habuisse, quin  
 potius

potius re bene perspecta, posthabita omni per-  
fivatione, & quia ipsi sic visum fuerat æquum,  
voluisse, ut extet clementia ipsius in subdito do-  
cumentum. BONACINA de *LL. Diff. I. Qv. II.*  
*Pt. 4.n.23. SVAREZ de LL.l.8.c.51.n.14.sq.* Ani-  
mus nobis non est, ut iis adstipulemur, qui mi-  
rificam pene vim huic clausulæ adscribere so-  
leant, uti GABRIEL. in *Comment. conclus. l. 6. de*  
*clausul. concl. 2.* ita, ut ad non cogitata, a prin-  
cipe ea extendant, & nunc omnes concessio-  
nes, quæ extant jamjam, & quarum mentio  
penes principem in literis preces continentibus  
facta non est, ipso iure sublatas, omnesque in-  
habitatis, mendacii, & alios nævos reiectos  
esse docent. Si enim Princeps aliorum ratio-  
nibus aures præbere voluerit, si ipse animad-  
vertat, hanc concessionem in detrimentum  
Reipublicæ vergere, tunc nihil, multo minus  
hanc formulam obstare censeo, cur hanc le-  
gem singularem tollere, postea integrum ipsi  
non sit. Sed perversa hæc Doctorum opinio  
etiam debet infelici, quam supra jamjam dolui,  
juris civilis cum publico commixtioni origi-  
nem. A pacto recedere, altero invito, non li-  
cet, neque verba immutare, sed hoc ipsum est,  
in quo Princeps civibus suis præstet, non, ut le-  
ges, subditis forsan invitatis, more pactorum im-

mutare non possit, sed ut liberam derogandi legibus, specialibus non minus, quam generalibus, imo eas plane abrogandi, uti ipsi visum fuerit iustum, facultatem habeat. Alium his vocibus sensum tribui a Pontifice Maximo, testatur c. 23. 24. de *Præbendis in bto.* Potissimum quod spectat ad interpretationem plenioriem, sive latiorem, quæ tamen instituenda non est contra concedentem, uti recte monet AB ANDLER in *Iurispr. publ. & priv. Lib. II. Tit. XXXII. n. 30.* quin potius ratione civium reliquorum, vel rerum, quae comprehensæ in hoc privilegio intelligi possunt.

#### §. IV.

Quicquid horum sit, omnes, quas attulimus, formulas eo tendere, unusquisque facile perspiciet, ut, quam Princeps cuidam exhibit gratiam, ad aliorum quoque notitiam pertineat. Quid iuvat enim, Principis munificencia ornatum esse, si iure suo utentes, prohibuerint iuris singularis exercitium. Nunc tabulis munitur, quibus, quæ fuerit genuina concedentis voluntas, cognosci & probari poterit, ita, ut alii, nisi poenas luere velint temeritatis, a turbatione omni desistant. Cuiusvis legis duas esse partes constat: a) Alteram, in qua Principes

---

a) Budd. *jurispr. nat. c. II. §. II.*

ceps mentem de eo, quod fieri omittive velit, declarat, atteram, quæ sanctio poenalis audit, in qua poenæ comminatio adiici solet, si quis legem transgredi fuerit ausus. Negandum qui-  
dem non est, posteriorem partem explicite non  
semper esse appositam, ea tamen omissa, nec  
legem vitiat, nec a poena, multo minus ab obli-  
gatione, subditos liberos pronuntiat, quin po-  
tius tacite intelligitur. b) In privilegiis vero,  
& in iis potissimum legibus, ubi Crimina Rei-  
publicæ maxime nociva prohibentur, adhiberi  
solet comminatio, ita tamen, ut vel accurate  
determinetur poena, vel verbis generalioribus  
indicetur. Ad prius genus refero, si multæ mo-  
odus præscribatur, e. g. Bey funffzig Marc lóthigen  
Goldes, si diuturnitas carceris indicetur, uti fre-  
quens eius mentio fieri solet in Edicto de Duellis,  
si fustigatio, relegatio, damnatio ad operas  
publicas, & ultimum quoque supplicium clare  
exprimantur. Variare tamen interdum debet  
poena pro quantitate delicti, hanc ob causam  
legislatores uti solent verbis: Bey willkürlicher  
Straße, nach Besinden, bey Vermeidung ernsten Ein-  
sehens, & interdum, quæ maximi esse solet pon-  
deris, formula adiici solet: Bey Vermeidung Un-  
serer

---

b) Budd. loc. all. B. Gribn. Iur. Nat. in proleg. cap. I.  
§. 2. 4.

ſerer Ungnade. De hac in præſenti ſumus actu-  
ri, de poenis arbitrariis alio tempore.

## §. v.

Qui legibus ſe accommodat, & quantum  
fieri potest, ſalutem Reipublicæ promovet, cle-  
mentiam Principis ſibi conciliat. a) Qui ve-  
ro ad caſtra immorigerorum, nova & iniuſta  
molientium, leges transgredientium, & virtuti  
adverſas tenentium, ſe recipiunt, favore Prin-  
cipis indigni ipsius odium, atque indignatio-  
nem incurruunt, & poenam facinori accom-  
modatam expectant. Hinc otiosum, aut cer-  
te nimis prolixum videri poſſet institutum, de  
indignatione Principis agere, quum cuncta  
omnino animadversionum atque poenarum  
genera locum ſibi vindicare hic appareat. Sed  
ita ſenſum traſtationis noſtræ capi debere vo-  
lumus, ut de singulari quadam poena, qua ver-  
bis expressis indicari ſolet, *Indignatio Princi-  
pis*, agamns, & de effectu ſimus indagando  
ſolliciti, quem producit clausula: Bey Vernei-  
dung Unferer Ungnade, & qua ratione ſontes hac  
poena afficiantur, ut ſentiant, grave eſſe, indi-  
gnationem Principis experiri, potiſſimum,  
quum verbis determinatis, atque claris fuerit

an-

a) Nov. 30. c. 12. in F.

annunciata. Sunt vero variæ, quibus mentem suam declarare studet ratione pœnæ Principis, sed huc spectant eæ saltim, quibus, quo sanctior legis sit observatio, indignatio Principis indigitatur, formulæ. Fieri illud solet plerumque verbis: *Bey Vermeidung Unserer Ungnade, vel: Als lieb einem Jeden sey, Unser schwere Ungnade zu vermeiden, vel: Der soll in Unsere Ungnade schwehrlich verfallen seyn.* b) Interdum, quo magis indicetur inditum hisce verbis pondus addi solet: *Das meinen Wir ernstlichen.* Non nunquam legitur: *Bey Unsern Hulden, quibus verbis eadem, inesse videtur comminatio.* In Constitutionibus, latino sermone promulgatis, indignationis regiæ, imperialis, nostræ celsitudinis mentio fit, cui pœnam is se incursum noverit, qui autem temerario huic mandato contraire, vel contrarium attentare præsum-

C fe-

b) Ante Sæculum XIV. non adeo usitata erat hæc, quæ expresse indicaret indignationem Principis formula, æquipollentes tamen sèpissime inveniuntur dictiones. Huc spectant, quæ sigilli Majestatis appositi mentionem faciunt, nec non verba: *Sicut nostræ Majestatis gravem offensam & aculeos vindices voluerint evitare.* Porro: *liberatibus & bonis, quæ ab imperio tenet, privetur.*

serit, c) quibus verbis apponi nonnunquam  
solet: irremissibiliter.

## §. VI.

Sed, inquis, stilos hic, in curiis principum  
usitatus, nihil indicare solet, nisi formam man-  
dati, & ut ita dicam, connexionem, vel potius  
conclusionem juvare. Legem putabis valo-  
rem habere, sive sint apposita hæc verba, sive  
omissa. In transgressores legum poenam sta-  
tui a Principe, sive expressam, sive arbitriariam,  
sine sub hac formula latitantem. Non esse  
tribuendum censes hujus formulæ spatii forsitan  
replendi, certe non majoris auctoritatis conci-  
liandæ causa, quippe quæ cuivis legi maxima  
debet asservari, appositæ disquisitioni studium,  
quum ipse JCtorum Primipilus testetur, se hu-  
jus verbi, indignationis Principisputa, effectum  
nullum invenire, nisi quatenus verbum sonet. \*)

Sed

c) Pertinent huc plurimæ ab Imperatoribus aut Princi-  
pibus in seculis præteritis emissæ constitutiones,  
quas hoc loco omnes adducere supervacaneum du-  
ximus. Provocamus hoc nomine ad collectiones  
tum juris imperii, tum Saxonici, tum aliarum re-  
gionum, ubi singulis ferme paginis hæc verba con-  
spiciuntur.

\*) Bartolum intelligo, qui ad constit. qui *sint* rebelles.  
Verbo: Indignationem, his loquendi formulis  
ut titur.

Sed nobis videtur aut obscurus Bartolus in hoc asserto, aut sibi contrarius. Forsan per sonans verbum indicare voluit, nil esse, praeter verbum, re & effectu illud esse destitutum, sicuti sonus, qui pulsu aeris excitatus brevi evanescit. Attamen effectum tribuit huic voci, qui existere nequeat, si vel nullus plane inveniatur, vel ex solo vocabuli sono erui debeat. Quicquid horum sit, nec hujus autoritate, nec plurimorum juris commentatorum, qui plane in medio uti indignam forsitan explicatione vocem, effetuque destitutam omni, reliquerunt, exemplo nos commovebimus, quo a consilio desistamus, quum maximum omnino ponderis insitum esse his verbis per ea, quæ nunc sequuntur, & L. B. judicium expectant, asseri posse, nulli dubitemus.

## §. VII.

Indignationem Principis nos poenam vocamus, quoniam is, qui hanc incurrit, maxima se sentiet affectum poena. Quæ quæsto patet subditis, ad divitias corradendas, ad honores suscipiendos, ad voluptatem consequendam, imo ad summum felicitatis pene fastigium penetrandi via? Nonne illam deprehendes in clementia Principis? Clusa itaque hæc illi est via, qui Principem iratum, & indignan-

C 2

tem

tem experitur. Conspicet alios omni felicitatum genere abundare, ipsemet se proprio facto indignum his reddidit. Nunc sibi tribuat, quod iram Principis, de cuius arbitrio salus subditorum dependet, in se provocavit, & poenæ huic atroci omnino se subjicit. Indignationem, iram & odium differre, BVDDEVS, a) BECMANN, b) BONACINA, c) & aliido-cent; Sed quatenus affectus delineare, & ex mente non satis composita ortum illorum monstrare satagunt, ipsorum opiniones expendere non vacat. In eo tamen convenient, ob justam quoque causam indignationem excitari posse, uti boni indignari, imo certa ratione succensere solent improbis. Vitio itaque Principi vertendum non est, quin potius laudi ducendum, si delicta subditorum abominetur, si iis indignetur, & quæ ex hac indignatione oriri solent, poena & vindicta fontes persequatur. Non itaque indignationem consideramus, tanquam affectum, cui resistere ex imbecillitate humana rationis nequeat Princeps, sed eam definiri cupimus, quod sit *pœna*, cuius comminatio in *Edictis* & *privilegiis* verbis consuetis præcedit,

a) *Philos. pract. P. I. c II. Sect. II. §. 73.*

b) *Consp. doctr. polit. c. VII. p. 75.*

c) *de LL. dispt. III. qu. IV. punct. ult. §. 1. n. 8.*

cedit, modos puniendi gravissimos, & ex arbitrio superioris dependentes, sub se comprehendens, ac eum in finem statui solita, ut discant subditi, ejusmodi delictum & Principi maxime ingratum esse, & Reipublicæ valde nocivum. Diximus poenam, qvum satis punitum credamus eum, cui Princeps clementiam, & ea beneficia dengat, quorum usu reliqui gaudere libere valeant. Mentionem fecimus Superioris, ut comprehendamus scilicet utrumque legislatorem, divinum & humanum, & qvum horum respectu leges dividantur in divinas & humanas, ac poenæ singulares ex utraque promanent, non incongruum esse putamus, si de indignatione Dei, & iis, quæ huic sunt affinia, post de indignatione Legislatoris humani sermonem insti-tuamus.

### §. VIII.

Leges naturales simul, ac divinæ positivæ contra transgressores poenis circumseptæ sunt; alias essent consilia, non jura, & obligationem vere non involverent, qvum ex arbitrio illas observare, & ab istarum dispositione impune recedere possent. a) Determinatas quidem non

C 3 de-

a) aliter sentiunt Thomas. Obs. Hallens. Tom. 6. obs. 27. & Poiret. &c. con. drv P. III. c. 13. §. 16. sed vide, quæ egregie adduxit Ill. Glafey in jur. nat. & gent. L. II. c. I. §. 5. sqq.

deprehendes poenas in legibus naturalibus; sentiet tamen ipse, qui præcepta earum transilire non erubescit, effectum delicti, sibique indigeni auxilium videbit denegari tanquam indigno. Quis vero dubitat, alias quoque a summo numero statui posse in transgressores legum naturalium poenas, licet non semper sint considerandæ, uti criminum effectus, qvum immensæ ipsius justitiae pariter ac sapientiae relinquendum, quo ordine, tempore, modo, in perversas mortalium actiones animadvertere velit. Quod attinet leges divinas positivas, ibi tum constitutas atque determinatas poenas reprehendere licet, tum etiam formulas, generaliorum puniendi modum complectentes, quæ nihil aliud, quam indignationem Dei futuram significare videntur. Quid quæso per extirpationem animæ ex gente judaica aliud intelliges, quam poenam, ex indignatione Dei orientem, qua quis privari debeat bonis ac beneficiis, quibus conspicui sunt genti, quæ Deo placet, adscripti: Nonne comminationes illæ, quæ iram divinam annunciant hominibus, in Sacro Codice plurimas jure referes ad hoc caput? Nonne documenta ibi reperies optima indignationis divinæ, quam Deo attribuimus, non ex fictione *ανθρωποταθως* composita, sed quoniam, uti su-

supra monuimus, indignationem hanc non consideramus ut affectum, nec ut vitium imbecillæ rationi proprium, sed velut pœnam & rationem, quæ justitiæ & Dei & Principis convenient, & quibus uterque uti solent in puniendis criminibus, ab inferioribus commissis.

## §. ix.

Sed non ipse solum annunciat indignationem summum Numen, verum homines etiam hoc in se suscipiunt negotii, ut transgressores legum humanarum, ne eam incurvant, monere soleant. Sermonem nos instituimus de clericis, quorum curæ commissum, ut hominibus viam salutis monstrant, ut peccatorum gravitatem iis ante oculos ponant, ut auditores consiliis ex codice sacro fanaque ratione depromtis moneant, ne peccatis se involvant, quibus iram atque indignationem divinam certissime cervici conciliarent; Loquimur potius de iis, qui potestate legum, in terris ferendarum, gaudent & constitutionibus suis pœnam hanc non humanam solum, sed etiam divinam inferere solent. *Deum vindicem poscunt LL. XII. Tab. iis*, qui *Deos caste, pie, & sine fucata mentis pietate adire*, religioni sibi non duxerint. Porro, qvum juramentum sit sine dubio cultus divini species, ille, qui perjurium committit, officia,

cia, quibus Majestati divinæ est obstrictus, máxime violat, a) hanc ob causam per l. 2. C. de reb. Cred. Iurisiurandi contenta religio satis Deum ultorem habere dicitur. Si Constitutio-nes imperatorias perlustrare animus est, quæ Corporis Iuris Iustinianei addi solent, ALEX. COMNENI. Conſt. de Spons. verba fiunt, quod fontes obnoxios se reddant humanæ divinæque iræ, & Deus ipſe in illos insurreetur creda-tur, & Conſt. 7. a Dei gloria ſe ipsos abaliena-re ſuſtineant. MANVEL COMN. Imp. Conſt. II. in f. si quis igitur voluerit per avaritiam, aut quampliā aliam causam & contemnere, quæ hac chrysobulla mei imperii oratione definita ſunt: primum quidem Sanctæ Trinitatis ſplen-dorem, cum ad tremendum ſtemmū tribunal, non conſpiciet: excidet autem & Christianorum par-te, ut Iudas duodenario, & praeter hæc execra-tionem ſibi conciliabit primogenitorum Sancto-rum, iuſtorum, & Deiferorum patrum, qui ab ævo p̄c̄moriū fuerunt Quo etiam ſpectare videtur l. 42. ſ. II. C. d. Episc. & Cler. ; primum quidem ex Domini Dei iudicio perieulum &c. ſuſtiner. l. 47. ſ. I. eod. & ipsos iudicium Dei & futuram condemnationem metuentes - - & in hac vita & in futura a Deo immiſſam pœnam. l.

46.

a) Gribn. Iurispr. nat. L. I. c. VII. §. 8 & 10.

49. §. 8. eodem in omnibus ejusmodi casibus cœlestes iracundias expectent. l. 33. §. fin. de Episc. audient tam magni Dei metum, quam &c. l. ult. §. fin. eod. ex celo & legibus nostris pœnas immi-  
 nere volumus. Nec minor erat, quæ IVSTINIA-  
 NVM occuparat, religio in Nov. 77. c. I. §. I. 2.  
 verbis : primum quidem indignos semetipsoſ fa-  
 ciunt Dei misericordia, posthæc autem &c. &  
 paulo post: primum quidem obligatus erit Dei  
 judicio, posthæc &c. & Nov. 141. c. I. quæ ma-  
 xime idonea sit, ut bonum illum Deum in omnium  
 perniciem ad iram provocet. Frequentior ad-  
 huc mentio horum omnium fit in Constitutio-  
 nibus & bullis a Pontificibus maximis emissis,  
 ubi indignatio non solum divina, verum etiam  
 Petri & Pauli apostolorum delinquentibus an-  
 nunciari solet. Sic CLEM. dudum. de sepulturis  
 in fin. cœlestis indignatio Principis digna pro  
 meritis rependentis. c. III. de verb. sign. in 6to. Si  
 quis autem hoc attentare præsumserit, indigna-  
 tionem omnipotentis Dei & Beatorum Petri &  
 Pauli Apostolorum. Hæc ipsa comminatio in  
 omnibus a CLEMENTE Pontifice omissis oc-  
 currit, & illa quoque usus est Imp. FRID. II. in  
 Const. I. §. fin. indignationem Dei omnipoten-  
 tis, & Beatorum Petri & Pauli Apostolo-  
 rum se noverit incursum, & FRIDER. I. in

D

Const.

*Const. de incendiar. quæ extat s. Feud. 10. ita loquitur: Dei omnipotentis & nostræ perpetuae indignationis sit reus. Fiat, fiat. A quo alienum non est, quod dicitur I. fin. §. 7. Cod. d. hæret. & Manich ex cœlo & legibus nostris pœnas imminere volumus. b)*

## §. x.

Vtendum erat ejusmodi formulis, comminationibus, quo firmius stabilirent Imperium Episcopi Romani, quo quam ab initio non sine contradictione summam ipsis arrogabant in sacris potestatem, religionis atque divinæ voluntatis obtentu ab imperita plebe facilius conquerentur. Novum hoc Pontificum non fuit inventum, sed forsan a primis Romanæ rei initii repetitum. NUMAM ratum fuisse ajunt, teste LIVIO, a) metum Deorum injiciendum esse po-

b) *Iure buc referri possunt verba in rythmis de non vitiano Speculo Saxonico conspicua:*

Doch kan ich nicht bewahren  
Alle die Unrecht fahren  
Und fälschen an diesen Buch  
Den send ich diejen Fluch  
Und die unrecht hierzu schreiben  
Die Maselnsucht muß an ihnen beiben,  
Als se Gi. si thät  
Vom Elieus Gebet  
Davon Braamen ward erlöst  
Gott, Heyland, und Trost,

Der rächs an ihnen also  
Dass es die Seele nicht werde umfroh.  
Herr, räch es an den Leibe  
Des Teufels handfeste bleibe  
Ihre Schrifts, dass er sie hab gewiss,  
Dieweil sie unverstiget ist,  
Wer des Teufels obn Ende  
Will seyn, der sende  
Zhm dis Urkunde  
Und fahr zu der Hölle gründne.

a) *Lib. I. c. 19.*

populo, tanquam rem ad fallendam multitudinem  
 imperitam, illisque seculis rudem efficacissimam.  
 Hac pietate imbuta fuisse pectora omnium, ut  
 ipsi se homines in regis, velut unici exempli, mo-  
 res formarent. An meliori duce utendum fuis-  
 se credideris Episcopis Romanis eo facilius vo-  
 cantibus plurimos, imo cogentibus, quo majo-  
 rem ipsis, quod circa res divinas occupatum  
 erat studium, vel speciem certe ferebat, conciliare  
 jamjam poterat autoritatem. Fulgure ex-  
 communicationis terrebant, ubi callidæ asse-  
 clarum persuasiones rem perficere non poten-  
 tiant. Per traducem quasi translatam in ipsos  
 potestatem fingebant, quam Petro concessam  
 esse a Servatore generis humani perhibebant. b)  
 Nunc more & instinctu non humano, sed di-  
 vino, se rem gerere, neminem mortalium repe-  
 riri, quocum facultas haec sit communicata, li-  
 mina cœli occludendi, aperiendi, recludendi,  
 & iram Dei hominibus annunciandi, quippe  
 cuius rei ipsi habent optimam & notitiam, &  
 potestatem. Hinc non est, cur mireris, Pón-  
 tifices non solum proscriptionem, qua animad-  
 vertere solent Imperatores, in frivole delinquen-  
 tes, imitasse, & contra constitutiones ipsorum

D 2 agen-

b) Uti illud constat ex multis pontificum constitutionibus,  
 e. gr. Clem. un. de reliqu. & vener. sanct. in f. 6. 4. X.  
 de elect.

agentibus sacris interdixisse, sed etiam propter excellentiam quasi imperii ipsorum divinæ indignationis auxilium in subsidium vocasse, &, contra leges Paparum agere, idem esse, ac ipsa præcepta divina violare, plebi inspirasse. Originem hic sine dubio deprehendes formulæ de indignatione Dei plurimis Pontificum, sive de rebus sacris, sive de amplianda clericorum potestate, sive de augendis ipsorum redditibus compositis constitutionibus insertæ, quo scilicet eo facilius morem gerant voluntati Pontificum, quo gravior esse soleat vindicta divina, quam ex mente Antifitum Romanorum inobedientes plenissime & certissime incurrent. Sed vanam esse hancce comminationem, nolim existimes. Deum iratum sentire, est omnium pœnarum instar, qvum & humanæ, & perpetuæ salutis amittendæ periculum ibi versetur. Hæc tamen ad Theologos spectant, a tractatione nostra aliena. Videamus, quem effectum hæc pœna sortiatur, non quatenus ipsam Dei indignationem involvat, cuivis maxime tremendam, sed in quantum quis ex mente legislatoris se puniri sentiat. Inducit illa privationem beneficiorum Ecclesiasticorum, uti BALDVS & ALVAROTTVS perhibent, ejusmodi tam priuationem, & indignationem divinam, aut certe com-

comminationem hujus pro Synonymis habendas esse ne credas. Nec hæc sola mens fuit Pontificibus, his formulis utentibus. Omnia omnino beneficiorum, divinorum & humano-  
rum, ecclesiasticorum & secularium usu carere  
debet, qui sanctas has constitutiones transgre-  
di non dubitaverit. Quem Deus odio perse-  
quitur, ille gratiam hominum non meretur,  
indignus judicatur beneficiis, potissimum Ec-  
clesiasticis, quæ propter sanctitatem & purita-  
tem vitæ concedi solent, & dignos, qui exem-  
pto recto aliis præludent, postulare videntur  
*C. 35. X. de Præbendis. ZIEGL. ad Lancell. L. I.*  
*T. VII. S. 9.* Indignus censetur, qui tale quid  
perpetratus fuerit, quod prohibitione adeo se-  
vera a Pontifice est munitum, & ab excommu-  
nicato in eo differt, quod hic potius correctio-  
nis loco, eum scilicet in finem, ut genuinam de-  
lictorum poenitentiam agat, a sanctorum com-  
munione excludatur. His itaque facilior pa-  
tet via ad statum pristinum adspirandi, quam  
iis, qui facto suo se indignos reddiderunt divina  
humanaque gratia.

## §. XI.

Sed non Dei solum, sed Petri & Pauli Apo-  
stolorum indignationis mentio fieri solet in  
Constitutionibus papalibus. Eandem esse pu-

tant, quas supra allegavimus, BALDVVS & ALVAROTTVS, a) ac indignationem ipsius numinis divini, in eo scilicet consistentem, ut inducat privationem beneficiorum Ecclesiastico-rum. Verum res altius repetenda venit ex dogmatibus pontificiorum. Notissimum est, Papam se gerere successorem Petri; qui illi inobediens est, etiam hunc offendere creditur. Nunc, quem in deliciis habuit, & singulari fere gratia amplexus est humana patiens servator, etiam in divino animorum concilio piorumque cœtu primas quasi illi tribuisse, eumque in amicorum numerum posuisse creditur. Qui vel amicitiam, vel favorem, vel clementiam alicujus, perdit, hanc sibi reconciliare potest interdum, si per familiarem offensi rem tractandam curaverit, & hujus intercedentis auxilium sibi paraverit. Ut majorem incuterent terrorem populo, Petri hujus, & Pauli, cuius constans verbi divini professio atque inter gentes profanas propagatio indefessa præcipuum quendam locum ipsi inter martyres reliquos assignasit videntur, qui ipsi forsitan succurrere possent auctoritate sua, indignationem minitari consvergent Pon-

a) in c. 1. §. 2. item qui vers. item si delator. & gloss.  
qua fuer. prim. caus. benef. amit.

Pontifices. Horum exemplum prosequendum duxerunt etiam Imperatorum nonnulli, qui forsan aut nimia erga religionem vel clericos potius devotione, aut vera quoque pietate ducti, id sibi sumserunt, potissimum, ubi clericorum beneficia defenderent, & abusum potestatis ipsorum confirmarent, ut cœlestes poenas typo indignationis comprehensas in constitutionibus annunciascent, cui instituto suo respectu eundem nos tribuere audemus effectum, quem minis pontificum supra adscripsimus.

## §. xii.

Allegavimus jamjam supra, nos de indignatione non verba facere, quatenus affectus loco reputanda est, qui in unoquoque excitari potest, si res ex voluntate ipsius non geratur, sed respectum haberi ad poenam. Qvum vero ne-  
mo nisi Princeps poenas statuere valeat, tunc hic puniendi modus, indignationem puta, su-  
periori, qui leges ferendi potestate gaudet inter  
cives, competens, studium nostrum in præsenti  
exercet. Indignationem suam declarare vel  
communari potius Princeps solet in plurimis,  
quæ jussu & autoritate ipsius promulgantur,  
edictis & privilegiis. Notissima est, & saepius  
adducta formula: *Bey Vermeidung Unserer Un-*

gnæ

gnade, vel latinis: *sub pena indignationis*, aut: indignationem nostram se noverit incursum, nostræ indignationis sit reus, & quæ sunt aliæ, expresse indignationis mentionem facientes eiusmodi formulæ. Conspiciuntur etiam interdum in patro sermone æquipollentes hoc in capite & sibi invicem similes dictiones. Frequentior est: *Bei Vermeidung Unserer Ungnade*, aliæ: *Dass er Unser Missfallen scheinlich empfinden soll*, *dass Unser Ernst im Werke gespühret und besfunden werden soll*, *dass männlich Unsern Missfall zu vermerken haben soll* &c. *bei Vermeidung Unsers Zorns und Ungnade* &c. *gegen denselbigen* &c. *Unser ungädigst Missfallen*. *Unsere Ungnade sattsam zu verspühren*, und andere ein Exempel &c. Quo referri debent jure modi omnes loquendi, quibus Princeps se punire non solum, sed acriter, scilicet uti indignatio animi illud suggereret, punire velle transgressores legis minatur.

### §. xiiii.

Sed quum variæ Principum conditiones deprehendantur & eodem modo, eadem qualitate personas subditorum, eorumque res tractare singulis non detur; probe observanda est cuiusque Principis facultas, & regiminis, quod exercet, indoles. In poenis statuendis, legibus con-

condendis, præmiis concedendis, non semper  
solum principis arbitrium sequendum est, sed  
accedere debet eorum, quibus in limitibus ar-  
etioribus continendi ejus potestatem data est fa-  
cultaſ, confirmatio. Non quæ in Principe, le-  
gem ferente, requiruntur, hic enucleabimus;  
sed scopi nostri adnotari sufficiet, Principem il-  
los quoque in medium vocare debere, sine quo-  
rum adminiculo exercitium juris Majestatici  
ipſi non detur. Imperatoris in Germania exem-  
plum est potissimum, quod huic observationi  
annectendæ occasionem præbuit. Reperiſi fo-  
let in Edicis & Privilegiis, quæ ab huius Princi-  
pis voluntate originem ducunt, formula, si qua  
apposita, conspiaciatur: So lieb als ihm ist Unsere  
und des Reichs schwere Ullgnade zu vermeiden. Utun-  
tut quoque hac formula *Vicarii*, quibus ple-  
nissime omnia negotia expedire datum est, nisi  
quæ ex mente Aureæ Bullæ Imperatori solum  
sunt reservata. Conspicitur hoc in juramentis  
Vasallorum, qui feuda Imperii tenent, ubi &  
Imperatori, & Imperio, vasallagium præstant,  
& utrisque fidelitatis exhibendæ juramento fi-  
dem faciunt. Non tamen omnia, quæ ab ipso  
Imperatore emanant, hac formula deprehen-  
des munita, sed distingvendum est, utrum auto-  
ritate Imperatoria, an potestate, qua ipse Prin-  
ceps

ceps in terris hæreditariis gaudet, constitutiones promulgentur. Hoc casu suam, non Imperii indignationem comminari solet, uti conspicuum hoc est potissimum in privilegiis, quæ Vasallis Lusatia ab Imperatoribus, tanquam Regibus Bohemiæ, concessa esse novimus. a)

## §. XIV.

Uttuntur hac formula Principes, ut declarant, sibi quam moxime placere, & Reipublicæ expedire, quo constitutioni mos geratur. Indicant hoc generali omnes ferme poenas, & coercendi modos complectente verbo. Quid enim in terris amplius speres, si principis indignationem sentias. Alia si commiseris delicta, tecum forsitan, quum poenas facto tuo conformes dederis, in gratiam redibit Princeps, & delicto tuo licet iratus, rationem meritorum alio tempore habebit, & clementiæ suæ in tenacissimum statuet documenta. Sed ubi Principis indignationem specialiter, & expresse allegatam noveris, obediens tamen mandato esse detrectaveris, maximis de poenis nunc subjici cognoscēs. Consistit itaque indignatio Principis in tribus capitibus, ut involvat privationem dignitatum & beneficiorum, ut efficiat exclusio-

a) Que conspicuntur in cod. Aug. parte. 3. & in Lusatia diplom. a Dno. ab Redern a. 1724. edita.

clusionem ab iis, ad quæ postea adspirare poterat legistransgressor muneribus, ut poenam arbitriam , in voluntate Principis sitam , sub se complectatur.

## §. xv.

Nimis generales sunt ii, qui Principis indignationem in eo consistere perhibent, ut gratiosum se exhibere nolit. a) Nihil explicant, & idem fere dicunt. Sed investigandus est, ex quo specialiores derivari effectus possunt , recessus. Privatur quis beneficiis, id quod patet tum arguento eorum, quæ de privatione beneficiorum Ecclesiasticorum intuitu indignationis divinæ diximus, tum, quia beneficia secundum eorum naturam dignis sunt conferenda. Sermo nobis hic est, non de omnibus dignitatibus, muneribus, honoribus, fortunis, quibus gaudet subditus, sed loquimur de iis, quæ in ipsum ex arbitrio Principis sunt collatae. Quæ aliunde ad ipsum pervenerunt; quæ ab ipso Principe quoque, titulo oneroso & per contractum adquisivit, ea in hunc censum venire debere non putamus. Beneficia, & omnia, quæ ex arbitrio Principis de-

## E 2 pen-

- a) Bartolom sequuti sunt alii, ut Zileti, Consil. crim. T. I. conf. 102. n. 5. qui penam indignationis penam aut effectum ei tribuendum negant , quocum conveniens Farinac. Lib. I. quest. crim. qu. 19. n. 32. Alex. I. I. conf. 103. n. 14.

pendent, quo jure referes dignitates, & honores  
in eos collocari solent, qui Principi placent, jus-  
sibus obtemperant, ac ejus clementia digni re-  
periantur. Qui vero ejus mandata negligit, qui  
iram ipsius, comminatione indicatam negligit,  
eam non asservabit qualitatem, qua Principis  
gratiam ulterius experiri valeat. Exwendus hic  
est, quibus ornatus erat, muneribus, digniores  
eligiendi, quibus ablata hæc meliori jure confe-  
rantur, sentiat indignationem Principis, non  
verbis otiosis appositam, sed effectum, vere pro-  
ducentem, in eo scilicet consistentem, ut is, ho-  
mo tanquam ingratus, qui se indignum reddi-  
dit ulterioribus a Principe proficiscentibus be-  
neficiis, qui præcepta legis transilire, ex hoc facto  
iram Principis in caput suum vocare non dubi-  
tavit, omnibus, quibus jamjam prædictus est a  
munificentia Principis, muneribus, destituatur.  
b) Nec obstat, quo minus idem dicamus de pri-  
vatione feudi, si Vasallus indignationem Domini-  
ni incurrat. Persona Vasalli Domino debet esse  
accepta. Hanc ob causam leges Jus περιμήτεος,  
illi adscribunt, ut videat scilicet, an novus Vasal-  
lus ipsi placeat. Nunc ea est vasallorum &  
feudorum indoles, ut Dominus ubique, si causæ  
sint feudales, jurisdictionem exerceat, imo leges  
præ-

---

b) Weisenb. Conf. VI. n. 133. 137. Fritzsch. Conf. XXXVI.  
Tom. II. n. 210.

præscribat. Leges non possunt esse sine effectu. Quamobrem leges ferendi potestate qui gaudet, etiam pœnas & determinare, & exequi potest. Summum hoc in capite videtur esse genus pœnæ, si Dominus indigne aliquid ferat, si declareret, vehementer sibi displicere eum, qui hoc perpetraverit. Nunc eo ipso feudo indignus judicabitur, qui domini favorem, & juste quidem, perdit. Hanc ob causam, licet privationis feudi facta non fuerit mentio, tamen quia generalis hæc esse sole pœna a Domino exerceri solita, tum quia per verba æquipollentia, uti hoc in casu demonstravimus, idem involvitur nulli dubitamus, quin Dominus crimen seu feloniam, sub ipsis indignatione prohibitam, privatione feudi vindicare queat. c)

## §. XVI.

Sed privabitur non solum dignitatibus atque muneribus, quæ ex manificentia Principis ad ipsum pervenerunt, sed ab iis quoque, ad quæ postea adspicere posset, arcetur is, qui indignationem Principis experitur. In tanta enim hominum turba, quis dignus sit ad munus quoddam obeundum, quis dignior altero, æstimare penes nullum est, nisi Principem. Qui vero illum censebit dignum Princeps, qui gratia ipsius excidit, & cui propria facta viam ad honorem felicitatemque occidunt. Habendus nunc est, ut ita dicam, pro civiliter mortuo, de cuius meritis officiisque in republica spes est extincta, capiendi utilitatem eligitur is, qui omnium dignissimum se exhibuit Principi, & cuius meritis clementiam reservavit. In hoc tamen arbitrio Principis res est committenda, an ejusmodi homini velit gratiam facere. Tunc remissa videtur ea, quam sibi conciliavit indignatio Principis in eo, ubi Princeps animum suum declaravit, & illa tunc effectum non sortietur, quem semper & jure quidem, obtinebit, nisi de mutata Principis Voluntate constet.

## §. XVII.

Tertius, quem tribuere indignationi, de qua verba facimus, nulli dubitamus, in eo consistit effectus, ut Princeps pœna arbitraria, & gravi omnino, licet non fuerit expresse modus illius indicatus, possit animadvertere in delinquentem. Sunt

E 3

qui-

c) Consentient cum Giurba cons. XXXII. n. 3. Caballus resol. crim. cent. 1. cas XXX. n. 6. Stam. de serv. perf. Lib. III. c. 36. n. 25.

quidem pœnae omnes in Principis arbitrio posita, ille modum  
 præscribit vel pro gravitate delicti, vel ut alii capiant legis ne-  
 glectæ exemplum. Hanc ob causam vel nulla plane solet adjici  
 pœna aut comminatio legi, vel modus determinatur vel gene-  
 raliora conspiciuntur verba: *Bey willkürlicher Straße, nach  
 Besinden.* In omnibus hisce casibus non crediderim adeo arcta  
 constringi Principis arbitrium, uti officium Judicis. Sufficit  
 si delictum, legibus notatum fuerit commissum. Nunc Prin-  
 cipis est, pœna transgredientem afficere. Potest esse dura,  
 licet non iniqua pœna. Nec propter levitatem pœnae audeas  
 delictum, sed semper obserues præcepta legum, quoniam san-  
 cte sibi ubique asservanda est Principis voluntas. Ipse si frivole  
 peccantem animum conspicerit, si frequentia delictorum gra-  
 viorem Principis animadversionem expectaverit, potest vel le-  
 gibus statuta majorem vel novam, licet alii mitiori sunt affecti,  
 pœnam irrogare, hocque modo privilegium, quod vocant odio-  
 sum, exhibere. Effectus, inquies exinde conspicuus non  
 fiet, quem producat indignationis pœna, quum in omnibus ex  
 arbitrio gaudeat Princeps statuendi pœnas facultate criminibus.  
 Sed otiosam effectuque destitutam non esse ejusmodi pœnae com-  
 missionem, optime patet ex eo, quia hæc pœna ab aliis probe  
 soleat discerni in plurimis Constitutionibus ac privilegiis. Sic  
 leguntur in Constit. qui sint rebelles in f. indignationem nostram  
 & pœnam mille librarum &c. alibi: *Als lieb einem sey unsere schwere Ungnade, und dazu eine hohe nothmliche Straße zu vermeiden, item: Bey Vermeidung des darinnen befindlichen Engelsdes, auch unserer sonderbahren Straße und Ungnade, das meynen wir ernstlich.* Nec non: *Unser ernstes Missfallen und Leibes Straße.*  
 Præter itaque pœnas constitutas & expressas alia quoque debet  
 in delicta committentes statui. Indicatur hæc in comminatione  
 indignationis. Separari hæc debet. Nunc Princeps modis quâ-  
 buscumque uti non solum potest, verum delinquens etiam ex  
 verbis adjectis id bene antea cognitum perspectumque habere  
 potest. Quasi omnem Principis iram, omnesque quas potest ille  
 pœnas exercere, in se provocare videtur, qui ausu temerario  
 ejusmodi legi obviā ire tentaverit. Nobis videtur hæc pœna  
 illud continere, quo ad omnes pœnarum modos possit pervenire  
 Princeps, & hac ratione complexæ sunt sub illa pœnae arbitrariæ,  
 quas

quas tamen graviores nunc expectes, si comminatione haec ne, glecta, legem transfilire non dubitaveris. Et in hoc situm videatur discriben inter formulam: *Bey willfährlicher Straße, & bey Verneydung unserer Ungnade.* In priori casu de pœnis, qua communiter locum invenimus post delicta commissa, verba videntur facta, & quæ pro qualitate, criminis admissi, pro viribus facultatum, quas possidet delinquens, interdum pro ratione damni exinde emergentis, aut pro malitia mentis singulari modo temperatur, modo exasperatur, raro autem ad maximas pœnas pervenitur. Hic autem, ubi indignationem Principis incurris, illam senties, non pœna forsitan pecuniaria leviori, aut huic simili, sed gravissimis pœnarum generibus, quarum duritiem iure accusare non poteris, te subjectum deprehendes. Nec hoc prætereundum esse censurus loco differentia inter utramque formulam annotandum, judicem, si pœnam arbitriæ locus relinquatur, latius extendendi officium habere potestatem, & interdum, re ad Principem non delata, pœnam imponere posse peccanti. Ubi vero indignationis Principis mentio fuerit facta, iudicis potestate atrociores videntur limites positi, siquidem rem nunc perferrandam curet ad Principem, qui, in quo consistere & exercere se debeat indignatio ipsius, optime statuet.

## §. XVIII.

Sed an Principem jure pervenire posse credideris, ad pœnas atrociores, puta bannum, confiscationem bonorum, immo ad ultimum supplicium, si verbis tantum generalioribus bey verneydung unserer Ungnade utatur. Si de pœnis arbitriis sermonem instituamus, variae DD. opinione modo affirmantium, modo negantium partes firmant. Plurimi tamen Principi, & recte quidem, hanc potestatem vindicant. Nunc quam sine dubio severiorem puniendi voluntatem Principis indicent verba, quæ de eius indignatione loquuntur quam, quæ tamen arbitriam pœnam involvunt, nihil obstet, quo minus hic quoque quamcumque pœnam statuendi arbitrio Principis relinquamus.

## §. XIX.

Supra habuimus rationem duplicit, qua Imperator pollet, persona, tum intuitu regionum, quæ jure hereditario ad ipsum spectant, tum quoad universum imperium Germanicum

n'cum. Hoc exinde cognosci ostendimus, quum inseri solet interdum constitutionibus ab ipso, qua Imperatore, emissis formula: bei unsrer und des Heil. Römischen Reichs Ungnade. Mento scilicet sit hac ratione eorum, qui cujusdam in imperio potestatis participes sunt, & sub imperii de nominatione intelliguntur, ordinum imperii. Non itaque Imperatoris solum clementiae amittenda periculum subit is, qui divinas ipsius constitutiones neglexerit, verum ordinum imperii jure maiestatis in terris, quibus præsunt, pollutum indignationem sibi conciliat, ita, ut nunc ad gravissimas penas procedi queat, quæ concurrentibus statuum imperii suffragio expedi possunt, & per universum imperium indignus judicetur beneficiis & juribus, quæ aliis tribui solent ab iis, qui majestatem ibi exercent.

## S. XX.

Quis ergo hæc verba putarit superflua, gravissimis Constitutionibus atque privilegiis extantioribus inserta, & voluntatem superioris abunde testantia. Negare quidem non audiens, interdum ultra poenam determinatam aut modicam non cadere in contravenientem mandata indignationis exemplum, sed quæ singulari Principis clementiae adscribi debent, assertum nostrum non tollunt. Instituti nostri ratio, &, quos huic operi posuimus, limites, ulteriora non permittunt. Tu L. B. his paginis nobisque fave, & commentaryem de penis arbitriis propediem expecta.

## COROLLARIA.

- I. Trucidare eos, qui arbitrio victoris se commiserunt, die sich auf discretion, auf Gnade und Ungnade ergeben, honestum non est, non tamén injustum.
- II. Falsum est: interpretationem privilegiorum contra principem latissime institui debere.
- III. Male dicitur privilegium lex singularis eo fine, ut quodam tantum obliget, quum potius universalis debeat appellari.
- IV. Commixatio indignationis a privato facta non habet effectum legis, sed conditionis sive modi,

**ULB Halle**  
003 850 080

3



56







Gr. 15. num. 50.

1741, 15.

Q. D. B. V.

D E

# POENA INDIGNATIONIS EIVSQVE EFFECTV

P R A E S I D E

ERNESTO HENRICO MYLIO D.  
IN ACADEMIA LIPSIENSI

A. D. V. MAJI A. C. M D C C X L I.

H. L. Q. C.

P V B L I C E D I S P V T A B I T  
IOANNES AVGVSTVS SCHEDLICH  
IVR. VTR. STVD.

LITTERIS ZVNKELIL.



J. Ch. Vanize.